

Disputatio inauguralis medica de amputatione membrorum sphacelatorum, eorumque secunda medela ... / [Eberhard Barnstorff].

Contributors

Barnstorff, Eberhard, 1672-1712.
Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeb : Literis Christiani Henckelii, [1696]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jdqtpnrb>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Disputatio ad IV / XVIII / 5/25
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De,

Lit. 66.
869.7

AMPUTATIONE MEM- BRORUM SPHACELATORUM, EORUMq; SECURA MEDELA.

Quam,

ANNUENTE DIVINI NUMINIS GRATIA.

IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO, SERENISSIMO

PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,
ELECTORATUS BRANDENB. HEREDE &c. &c. &c.

Gratioso Facultatis Medicæ Consensu

P R Æ S I D E

PRO-RECTORE MAGNifico DESIGNATO

DN. FRIDERICO HOFFMANNO, D.

MEDICINÆ ET PHILOSOPH. NATURAL. P. P.

MEDICO ELECTORALI AULICO,

Patrono, Præceptore ac Promotore suo
omni observantiæ cultu devenerando,

PRO GRADU DOCTORALI,

*Immunitatibus atque Privilegiis More Ma-
jorum ritè impetrandis,*

D. XXVI. Junii M DC XCVI. Horis Ante- & Pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Publicæ eruditorum disquisitioni subjicit.

EBERHARDUS Barnstorff /

Rostochiens. Megapolitanus.

HALÆ MAGDEB. Literis Christiani Henckelii, Vniv. Typogr. 2

VIRIS

*Maxime Reverendo**Consultissimo**Nobilissimis Amplissimis atque Excel-
lentissimis***DN. GODOFREDO****WEISSIO,****S. S. Theol. Doct. & Ecclesiæ Lunebur-
gensis Superintendenti gravissimo meritissimo.****DN. JOHANNI BARN-
STORFIO,****J. U. D. & Consistorii Ducalis quod Rosto-
chiis est Advocato celeberrimo,***Dominis Affini, Patruo, Patronis
ac Fautoribus summis***Specimen hoc inaugurale in gratis-
simæ mentis tesseram ad ulteriorem mei studio-
rumque meorum commendationem***submitte offero***EBERHARDUS Barnstorff.****K. u. k. Militär-ärztliche Bibliothek**

Standort	Zimmer		Katalog	Abth.	
	Kasten			Gruppe	
	L. Nr.			Nr.	

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De,

AMPUTATIONE MEMBRORUM SPHACELATORUM EORUMq; SECURA MEDELA.

§. I.



Nullus affectus atrocior & crudelior quam Sphacelus est, ubi nobis viventibus integræ partes corporis immanes inter cruciatus & æstum igneum putrescunt & moriuntur: Neque is perfunctoriè saltim infestat aut ad salutem, ut alii morbi solent, terminatur: sed ubi semel nidum suum elegit, pertinacissimè inhæret & non tantum illam partem quam aggreditur mortificat; sed citato pede progreditur & sæpius totam microcosmi machinam destruit. In tanti affectus atrocità quid medico agendum sit & quid officii ejus ratio poscat paulo penitus in præsentiarum expendere animus est. Quoniam autem pro diversitate individuorum & ingenii sui magis vel minus maligni ac concursus vehementiæque symptomatum gradus suos habet ac multum inter se distat & variat, hinc non eadem auxilia eandemque medendi rationem ac viam exigit; Sed nonnunquam inter initia statim per valentiora remedia pars ad cor-

ruptionem vergens custodiri & integra servari potest. nonnunquam autem, malo majores vires adepto corrupta & mortua pars corporis a viva separari & extirpari debet. Placet itaque loco speciminis inauguralis de securis ac certis contra infensissimum hunc corporis nostri hostem in præsentī disputatione paulo fufius agere : Imprimis autem qua ratione & methodo partes jam totæ corruptæ & emortuæ amputandæ & separandæ sint circumfpectius paulo decernere, annectendo simul indicationes utilissimas, caute- las & succinctam operationis ipsius methodum. Altissimum Numen gratia & auxilio suo assistat conati- bus hisce!

II.

Ut autem feliciter progrediamur in apte dispo- nendis & decernendis remediis contra perniciosissi- mum hoc malum præsentissimis, ere fore duco in an- teceffum paucis delibare atq; attingere, qua ratione gangræna a sphacelo differat & quibus signis uterque affectus multum inter se cognatus dignosci queat. Gangræna autem dicitur a *γρᾶνῆν* quia maxime exe- dit & devorat instar Lupi vel Cancrī ; Quare omnes Novi Testamenti interpretes gangrænam in *Epist. Pauli 2. ad Timoth. cap. 2. v. 17.* per cancrum verterunt. Est autem pessimus inflammationis comes & incipi- ens partis corruptio : Si autem jam eo procesfit, ut pars corruptione extincta & emortua sit, sphacelus nuncupatur. Hinc benè gangrænas *Galen. L. 2. ad Glauconem* nominat eas, quæ ex magnitudine inflam- mationis fiunt mortificationes nondum tamen inte- græ factæ & confirmatæ sunt. Mali autem hujus tan- ta vis ac tyrannis est, ut nisi celerrimè succurras, facile af-

affecteda pars mortis habitum repræsentet h. e. vitæ, sensus & motus extinctionem tetramque putredinem contrahat: Et partis affectæ mortificatio incipiens tantæ est ferocitatis, ut nisi quis ruptâ omni morâ præsentissimas tulerit suppetias, laborans particula emortua vicinas sedes invadens ulterius serpat totaque membra enecet ipsumque hominem jugulet: Sphacelus vero dicitur a σφαλέιν jugulando s. enecando, quoniam necrosin inducit partibus. Hæc autem gangrænam præsentem in inflammata parte prænunciant, si nimirum coloris floridum quod in inflammatione adfuit, extingvitur, deinde dolor & pulsus sive arteriarum motus ipsi ægro antea sensibilis, nondum finitâ adhuc morbosa dispositione, remittunt, & pars antea dura ac renitens mollis fit & livida sensu quodammodo destituta, & cutis a carne facile sejungitur, sique premitur digitis in profundum cedit nec postea revertitur, aut resilit. Sphacelus vero appellatur, ubi coloris flos perit, aut pars livet aut nigrescit & tumida mollis & prorsus cadaverosa apparet, nec calor nec pulsus nec dolor aut sensus ullus amplius adest, ut etiam citra doloris sensum altè scalpellus in partem adigi queat, pustulæ quoque & vesicæ copiosæ talismodi in partibus apparent; si aperiuntur laticem acrem fundunt, & nigredinem a corrosivo sale gangrænoso inustam subtus recondunt,

III.

Occupat hic affectus frequentius partes sanguine copioso vel ejus vivido influxu destitutas, ut tendinosas nervosas & corporis extrema, quare frequentius videmus manuum & pedū digitos ipsumque scrotū hoc malo laborare: Porro adoritur corpora diuturno morbo vel senio emaciata & confecta; ubicunque enim vi-

res ibi etiam tenuissimæ sanguinis & fluorum vitalium particulæ deficiunt, ubi autem harum defectus ibi circulatio humorum remissor & impeditior est, ubi hæc, ibi facilis ad putredinem dispositio præsto est. Deniq; hic affectus sæpius quoqueprehendit cachecticos, hydro-picos, paralyticos, scorbuticos & omnes qui impurum sanguinem & paucos spiritus in venis alunt. Ossibus hic morbus accedit, cum caro ipsis circumdata tetros gignit ichores sive depravatam saniem, quæ virulentiam suam ea induit ac foetidissimam putrilagine consumit; sphacelus enim ossibus innascitur gangræna non.

IV.

Quod causas truculenti hujus mali concernit, breves erimus in illis allegandis aliud instituti ratione exigente, ere tamen erit non plane illas negligere, quo remedium ratio, illorumque modus agendi magis innotescat clariorque appareat. Compertum autem ex Physiologia mechanica est, sicuti totius corporis: sic etiam cujusvis partis animantis vitam & sanitatem versari in perenni ac jugi succorum & principaliter sanguinis circulari motione debita & æquali, tamdiu enim viva adhuc pars dicitur, quamdiu sanguinis circulatio per illam adhuc salva & libera est; Sic paralyticorum membra, utut sensu & motu animali privata sint, vivere tamendicuntur quoniam adhuc vitalis purpura per illa ipsa fertur & per circulum revolvitur. Proinde uti mors totius, sic etiam certæ cujusdam partis mortificatio consistit in circulatione sanguinis cessante & penitus destructa: simulac enim humorum in circulum abiens motus in parte quadam corporis nostri perit, protinus elementa partes fluidas & solidas componentia a se invicem secedunt & vinculum ac unionem pristinam de-

deferunt, unde fætidissima putrilago emergit ; quando enim internus sanguinis motus progressivus cessat statim externum æris fluidum jus acquirit in partem hanc, motumque alienum introducit, qui, cum texturæ nativæ destructorius sit, corruptionē cadaverosam & putredinem accersit. Motus enim circularis est præcipuum naturæ instrumentū, quod non tantum in unionē vitali elementa sanguinis valde heterogenea servat: verum etiam tali ratione a putredine, quæ secessio partium a se invicem totum componentium est, egregie defendit & tuetur. In sphacelo itaque omnis motus & circulus sanguinis vitalis extinctus est & externo fluido jam obsecundare & in putrilaginem abire incipiunt partes solidæ. In gangræna vero, quæ, ut jam supra dictum, incipiens sphacelus est, motus ille vitalis penitus quidem non extinctus, tardus tamen impeditus & extinctioni proximus est.

V.

Ex hisce adductis jam facile constabit ratio, quare a frigore penetrantissimo, quale est in Sveciâ, Norwegiâ, Curlandiâ, Livonia &c. maxime si corpora impura & emaciata tangit, quare porro a ligaturis fortissimis partium luxatarum vel fractarum, item ob graviores contusionem & ambustionem partis, frequentissime generentur gangrænisationes ; simile quoque accidit a prohibita transpiratione, quando nimirum partibus valde inflammatis vel erisypelaceis, ubi jam tumori obstructi & compacti humores sunt, applicantur frigida aquea, oleosa, emplastra aliaque obstruentia & poros angustantia. Notabile est ex immisione manus ægri maligna febre laborantis in frigidam, sphacelum obortum fuisse, *de quo vid. Miscell. curios. Decur. II.*

A. III. p. 145. Patebit jam porro ratio, quare illis personis, quæ impuros vappescentes & ad corruptionem sive dissolutionem elementorum sanguinis destructoriam vergentes humores possident, tam intrinsecè viscerum, quam externarum partium frequentes sphacelationes sint, uti id videmus in peste, ubi interiora ventriculi nigricantibus maculis & escharis conspiciuntur referta, Antrax & bubo glandulosarum partium quid aliud quam inflammatio fortissima cum sphacelo juncta est, a corrosivo virulento alcali inducta? Petechiæ nigræ mortis prodromi, quid aliud indicant quam leviolem & superficialium sphacelum? Quod de scorbuticorum maculis latioribus etiam valet; deinde solenne quoque est cachecticos & ipsos paralyticos facillime tentari diro nostro affectu: In illis infarctæ jam partes a crassis impuris humoribus sunt, in hisce tardissima sanguinis circulatio & pulsus arteriarum debilis propter elaterem spirituum animalium, qui tonum ac robur scenerant partibus, deficientem. Quapropter oportet ut praxin exercentes probe dignoscant & distinguant sphacelum qui ab intrinseca causa & sanguinis vitio dependet ab illo, qui foras & ab extrinseca causa saltem accedit. Et notabile est sæpius citra ullam causam extrinsecam & occasionalem sphacelum adoriri, uti videre licet in *Horstio. Lib. 9. observ. 22.* ubi quoque animadvertere est gangrænam in corpore caco-chymico vi saltem purgantis fortioris introductam fuisse v. *ibid. observ. 25.* *Fernelius* de abditis rerum causis *L. 2. c. 15.* testatur se aliquando partem sphacelo affectam vidisse non solum sine causa externa sed & sine tumore aut rubore conspicuo, oborto primum dolore immanissimo, tandemque ægrum extinctum fuisse sine febre

febre & symptomatibus gravioribus. Gangræna itaque quæ ab extra provenit longè citius & felicius sanationem admittit, nec tam citato pede progreditur, dum sanguis & humores balsamo suo genuino, quod custos putredinis est, adhuc abundant; secus si, si ab intrinsecâ causâ malum dependet, ubi longè periculosior est status, nec tam brevi humorum vitium emendabile:

VI.

Cum itaque noster affectus varias habeat causas & ratione vehementiæ suos gradus & quoad partes quas infestat magis vel minus periculosus sit, nec æqualiter semper totum membrum corrumpat & mortificet, sed sæpius saltem ejus partem & quandoque tantum superficialiter & nonnunquam satis profundè destruat; hinc remedia ad hoc malum expugnandum non ejusdem generis sunt, nec illorum applicatio & medendi methodus una eademque semper est. Prudentis itaque est pro conditione & statu morbi convenientia adhibere remedia: aliud enim auxilii genus exigit membrum totum emortuum & corruptum, & longe aliud, si saltem pars quædam vitâ exuta est, reliquâ vero integrâ. Illud tamen breviter summamque monemus, omne corruptum ac emortuum quod non amplius a naturæ regimine dependet, separandum ac disjungendum esse a reliquâ sanâ parte, sive provida natura, quæ etiâ hîc sui custos, conservatrix & medicatrix est, sola instituat separationem illius, quod leviter saltem infestum est, sive ope & arte chirurgi graviter corruptum amoveatur. Notabile autem est, ipsam naturam non tantum carnem emortuam a sanâ providè separare (quod apparet si circulus ruber exquisiti sensus

inter sanam atque mortuam carnem & materia albi-
cans puris spissioris instar sese ostendit) verum etiam
integra sæpius membra quod mirabile est a corpo-
re sejungere. Sic integrum brachium, ægro sa-
nitati postmodum restituto, solius beneficio natu-
ræ separatum legitur in *Th. Barthol. Histor. anatom.*
69. Cent. 1. & Cent. 5. Hist. 63. it. Cattier observ. 13. Me-
morabile non minus est Consulem septuagenarium de
quo mentionem facit *Nicol. Tulpius L. 4. observ. 51.* labo-
rasse tibiâ adeo corruptâ, ut a Medico ipsi consultum
fuerit, quo curaret ferrulâ sibi eam præscindi, quibus
monitis autem non paruit homo imperio assuetus, sed
potius miserè perire volebat: factum hinc est, ut tendi-
nibus ac nervis ob diutinam moram ab acri pure erosis,
totus pes vitiatus sedibus suis exciderit, ut adeo & ipsa
natura satis clarè indicet remedium amputationis s. ex-
tirpationis; sicuti autem hæc locum habet ubi totum
membrum corruptum ac infectum est, ita e contra ubi
membrum saltem quoad partem laborat & necrosi ta-
ctum, alia sanandi via ineunda est, quæ maximè confi-
stit in hoc, ut sanguinem benignum reddamus, obstru-
ctiones removeamus & laudabilis sanguinis influxum
& refluxum in partem corruptioni proximam promo-
veamus. Hoc pacto quod sanum est defenditur, e-
mortuum vero facile separatur & laudabile pus, quod
optimum reconvalescentiæ signum præbet, movetur.

VII.

Ut autem affectus & symptomatum ætiologia
& modus agendi remediorum eò planius eniteat, bre-
viter saltem totam rem perstringemus. Nimirum cer-
tissima res est, partem facilius corrumpi, si sanguis ibi
hæret eccentricus fixus & immobilis, hâc enim mora
æstum

æstum concipit vehementissimum pars laborans, dum globuli ætherei per obstructos ac infarctos membri poros celerrimè rotantur ac reverberantur. Æstus hic, qui motus attritivus vehementissimus est, instar ignis nativum sanguinis elementorum contextum & crasin planè dissolvit & destruit, cutim a carne separat & fluoribus intensam acrimoniam ingenerat, unde in partibus gangrænofis non secus ac ab igne ambustis dolores, erosiones, pustulæ, vesicæ acerrimam lympham fundentes observantur. Sicuti enim igneæ æthereæ particulæ velocissimo suo motu & ipsas fluidas & solidas partes dilacerant ac destruunt: pari ratione id fit a motu ætheris vehementissimo in parte obstructâ suscitato. Ignem, dum crematione suâ contrahit, crispat partes, poros destruit, ut lucis radii in illis suffocentur, nigredinem partibus inducere, notum est: eodem modo id fit in nostro affectu, ubi corrosivum igneum illud sal similiter agit. Præterea effluvia satis actiosa, corrosiva, ex parte laborante evecta sanguinem & corporis nostri succos in motu ac mixturâ suâ turbant, & partim febrim ac sitim incendunt; partim virium magnam jacturam pariunt. Quamdiu itaque destructorius motus in affectis partibus viget & ulterius serpit, tamdiu res maximo in periculo constituta est. Prima hinc atque optima intentio medici esse debet, violentum hunc & naturæ infensissimum motum, mortem & putredinem inducentem, sistere *germ.* **den Brand stillen**: Peropportune autem illud peragitur deobstruentibus balsamico roborante sulphure & sale penetrante instructis. Sola enim hîc deobstruentia sanguini liberiores motum, partibus debitam transpirationem, materiæ æthereæ liberrimum itum ac redi-

tum largiuntur atq; concedunt: sic enim sanguinis & feri vinculum illibatum servatur, putredo arcetur & quod emortuum est sponte secluditur & pus, quod succus nutritius ob acescentiam in quam facile vergit albedine tinctus est, movetur.

VIII.

Ex classe autem remediorum, quæ prædictis indicationibus ex asse satisfaciunt certè primas tenent & famosissima sunt sale volatili oleoso acidum destruyente imbuta vegetabilia, uti ruta, salvia, angelica, levisticum, flores sambuci, baccæ juniperi & omnia salia volatilia urinosa vel oleosa reddita, ex quibus maxime eminet sal oleosum nativum penetrantissimum, camphora. Huc spectant etiam sale quodam alcalino fixo amaro imbuta uti scordium, carduus benedictus, aristolochia rotunda, aloë, centaurium minus, absynthium, item oleo balsamico imbuta: uti myrrha, thus, mastiche, balsamum peruvianum &c: Vel denique incisoria vi agentia uti sal ammoniacum, lapis medicamentosus Crollii, vitriolum tam martis quam veneris, aqua calcis vivæ, cineres clavellati, spiritus vini & vinum ipsum. Ex hisce jam dictis parata cataplasmata & fustus, (qui penetrant promptissime & longe exquisitioris operationis sunt quam emplastica) calidè, & crebrius applicata divinam afferunt opem, dum unita quasi vi partim incidendo & deobstruendo, partim tonum membri labascentis roborando simulque putredinem arcendo perniciose hoc malum feliciter depulsant. Instar omnium autem duo sequentia a Magnifico Domino Præsidente ex singulari affectu mihi communicata remedia, quæ præstantissimam opem innumeris vicibus tulerunt, laudari merentur. Nimirum accipe Radicis

an-

angelicæ, levistici ana unciam unam, herbæ scordii, rutæ, carduibenedicti, salviæ ana manipulum unum, myrrhæ, mastiches ana drachmas sex, salis ammoniaci unciam unam semis, viridis æris drachmam semis, aluminis usti drachmas tres : Hæc omnia, concisa atque contusa coque in aquæ calcis vivæ, vini francici & spiritus vini camphorati partibus æqualibus. Alterum est solutio florum salis ammoniaci vitriolatorum in spiritu vini non rectificato, adjecta debita quantitate camphoræ. Notandum autem circa usum horum remediorum, quod si malum nimis profundè & altius lateat inque carnofis partibus consistat, priò institui debeant scarificationes, partim ut sanguis acescens & corruptus, qui in membro laborante compingitur, evacuetur; partim ut vis medicamenti ad ipsam labem propius pertingat. Et vanus ac inanis hic Practicorum nonnullorum metus est, qui aëris accessum putrefactionem facilitare censent; satis enim maturè affectæ parti debitis remediis impositis prospici debet. Minus autem commodè scarificationes hæc instituuntur in partibus tendinosi, manuum pedumque digitis, & ubi maximus æstus adhuc cum rubore perspicitur, felicius id fit in partibus carnofis jam corruptis vel corruptioni proximis, ubi profundæ scarificationes locum habent. Illud autem admirationem meretur, post scarificationem peractam in partibus mirum tumetibus, detumescientiam sensibilem illicò apprehendi cum flatuum emissionem, luculento indicio: non saltim infarctum humorum, sed & expansivam elasticam vim grandiores tumores gignere.

IX.

Quo autem in sanandis gangrænosus membris

securius procedamus, non debent negligi interna, quæ externorum virtutem mirificè secundant: talia autem sunt omnia alexipharmaca & diaphoretica, quæ sanguinis mixturam in crasi & motu suo servant & transpirationem liberiores inducunt. Ex his autem virtutis expertissimæ sunt liquor cornu cervi succinatus, spiritus bezoardicus Buffii, tinctura bezoardica media & volatilis, diascordiū liquidū, Essent. theriacalis, theriaca cœlestis & omnia salia volatilia oleosa. Euporiston autem præstantissimū quod plus centū vicibus incredibili effectū intentioni tum Magni Hoffmanni, Dn. Patroni ac Præceptoris mei ad cineres usq; colendi, tū etiam aliorū satisfecit, sequens est, Recip. vini rhenani optimi libram unam, succi cancerorum recentis uncias tres, theriacæ drachmas duas, lapidum cancerorum drachmas tres: blando calore hæc misceantur & pro duplici dosi bibat ægrotans, observando debitum & temperatum sudoris regimen. Præterea ex alexipharmacis & nostro scopo inservientibus duo maxime eminent, quæ sociata excellentissimam vim exerunt, sunt autem nitrum & camphora; Si verbi gratia ad drachmam unam nitri addatur scrupulus unus camphoræ. Nitrum sanguinem & serum fluxile reddit, quod patet si ejus solutio sanguini congruato affundatur, humorū acredinē contemperat, febrim extinguit & balsamicam vim humoribus scænerat: Notatu enim dignum est, nitro artificiali seu regenerato in aqua soluto sanguinem e vena emissum diutissime floridum ac purpureum in thermometro servari posse. Camphora autem effluviis suis tenuissimis evaporationem salium morbosorum vehementium & particularum obstruentium promovet, sicque æstus egregiè extinguit.

guit. Circa horum remediorum usum tenendum est, primo ut in longè largiori dosi quam mos est offerantur & repetitis sæpe vicibus: cum malum non patiatur moram & præsens periculum emendationem sanguinis urgeat: deinde ut, si ex intrinseco principio malum succrescat plus illis fidamus quam externis; Et si scorbutica labes subest, ut sæpius fit (& consuli possunt *Eugalenus de scorbuto* & *Henricus Reinhuysen observat. chirurg. Part. 2. observ. 40. Horst. Lib. 9. Observ. 25. pag. 453.*) antiscorbutica specifica immisceantur, si autem lues gallica fons & origo mali, confert, & remedia huic malo accomodata in usum trahere.

X.

Hac methodo si quis aggreditur gangrænam vel sphacelum, is feliciter in ejus sanatione procedet & impedire poterit ne malum ulterius progrediatur & putredine jam tactam partem naturæ beneficio restituet. Natura enim loco carnis emortuæ facile reponit, benigno jam sanguine reddito, damnum, & novam carnem progenerat: modo observetur ut restituta jam parti gangrænosæ circulatione, illud quod emortuum aut corruptum est, maxime si grandis & carneæ est molis externâ ope chirurgi prudenter separetur & amoveatur. Varii autem separationis modi hîc concurrunt, qui passim in chirurgorum & medicorum libris prostant & celebrantur. Nonnulli causticis corrosivis id peragere volunt & scarificatione, profundiori inter partem sanam & mortuam factam inspergunt pulverem ex arsenico vel imponunt unguentum ægyptiacum cui hoc admixtum est. Alii butyrum antimonii cum sublimato corrosivo remixtum in usum trahunt, qui celebris modus fuit *Domini Polegrini*
Me-

Medici Galli de quo legi meretur Charas in Pharmacop. reg. pag. 293. Alii id oleo vitrioli vel salis uti Faber in Chyrurg. Spagyric. pag. 172. præstare conantur. Quidam actuale cauterium præferunt, quo inurunt quicquid infectum est. Recentiorum plurimi novacula utuntur & quicquid peccat vel corruptum est refecant. Certum hoc est quo citius totum illud quod peccat tolli potest eò melius esse, ne fiat recidiva : Hinc ex omnibus modis postremus valdè arridet, & hic etiam usitatissimus & semper adhibendus si caro musculosa altius infecta est. Denique constat etiam attentâ praxi & frequenti experimento, caustica illa virulenta qualia sunt arsenicum & mercurius sublimatus externè applicata penetranti suâ acrimoniâ funesta ac sævissima symptomata in nervorum systemate excitasse. Equidem arsenicum in quantitate epotum necat perfectè hominem, sed non id præstat per solam erosionem membranarum ventriculi & vasorum sanguiferorum apertionem ; verum maxime, quod vim suam volatilem causticam nervis ac cerebro etiam communicet, dirisimos spasmos & convulsiones ibi excitans : Accedit quod hujus generis venena malignâ suâ acredine solidis partibus sphacelum quendam inducant, abundè id testantibus maculis nigris post assumptum arsenicum in ventriculo repertis. Notatu dignus est nuperrimus casus ad amplissimam Facultatem Medicam Academia bujus Fridericianæ missus, ubi ab arsenici scrupulis quatuor marito a malitosâ uxore oblatis non solum ventriculi membranæ erosæ & in particulas carneas discissæ repertæ fuerunt cum magnâ extravasati feri sanguinei copiâ verum etiam, ipsum virile membrum nigricans & sphacelo affectum deprehensum fuit, simile ferè exemplum literis prodit

dit *Salmuthius Cent. 1. Observ. 10.* Cui subijungi quoq; meretur a Viro Excellentissimo Dno. D. Stahlio, Patrono atq; Promotore studiorum meorum gravissimo mihi communicata historia oppido rara. Sc. nobilis loco non procul diffito alchymiae operam navans conduxerat mercenarium ad contundenda & praeparanda vi-
liora quaedam altiori operationi ac processui submini-
strantia. Hic cum aliquando portionem arsenici de-
flagrasset, forte fumum per os naresve attraxerat, sta-
timque unâ vel alterâ horâ post lassitudinem & insoliti
quid in corpore sentit, confert se propterea nobili sociis-
que insciis in lectum, cumque absentia ipsius vix atten-
deretur, tertio demum die inopinatò planè emortuus,
toto corpore lividus, ater, cadaverosus, virgâ mirum
quantum erectâ sphaceloque una cum toto infectâ de-
prehenditur.

XI.

Ut autem constet quantum & quando solis sca-
rificationibus & fotibus hic fidendum sit, legi meretur
Riverius Centur. 1. Histor. 84. & 86. ubi gangrænam bra-
chii manusque feliciter his ipsis sublatam esse testa-
tur. Nos nihilominus prae omnibus hic adhuc semel
commendamus modum recentiorum. Ante ali-
quot annos hîc loci vir sexagenarius melancholi-
cae constitutionis & vitae sedentariae indulgens alvi ad-
strictione laborans hyeme intensissimâ corripitur de
nocte præter omnem expectationem crudelissimo
dolore cum rubore ac tumore in ultimo articulo digi-
ti minimi, hic tumor per brevi totum occupabat bra-
chium cum calore intensissimo febre & virium præci-
piti lapsu, mox totum nigrescebat, articulus autem ubi

dolor exordium sumserat omni sensu privatus erat, hinc forcipe ejus amputatio peracta fuit; Toti autem brachio calide duplicatis linteis spiritus vini camphoratus & urina humana, in qua sufficiens quantitas salis ammoniaci & vitrioli soluta erat, applicata fuit & quidem singulis diebus sex ad minimum vicibus. Internè exhibitum fuit crebrius nitrū præparatum cum camphora, item tinctura bezoardica cum spiritu cornu cervi & nitrī remixta: Præterea potiones cordiales confortantes ex aquis destillatis & pulveribus cordialibus præparatæ offerrebantur, quibus remediis effectum, ut intra quatuor septimanas æger sanitati plenarie fuerit restitutus. Hæc gangræna a causâ internâ nata & in parte tendinosa excitata periculosissima fuit, partim quod ab aëris frigore tubuli atque canales corporis plurimi obstructi erant, partim quatenus in totum sanguis crassus & austerus erat & particulæ acres corrosivæ in parte affectâ susceptæ a venis vasculisque lymphaticis, sicque ad sanguinem revector ejus totam massam turbabant. Mentio quoque injicienda est singularis cujusdam casus, qui itidem hic locorum contigit, dū militiæ Præfectus in inferiori spinalis medullæ parte globulo plumbeo percussus quoad truncum inferiorem pedes & inferiore ventrem totus paralyticus omniq; sensu & motu privatus evaderet. Accidit hinc ut muscoli ani vasti glutæi quibus nullus sensus inerat, ad magnam superficiem corripenterentur putredine, colore nigricante & cadaveroso fætores: Hæc putredo latisime serpebat, hinc commendata fuit carnis omnis emortuæ excisio, & aliquot libræ hujus carnis sine ullo dolore usque ad ossis acetabulum excisæ fuerent.

re, dumque caro florida appareret, probè defensa ab aëre fuit, fovea stuphis linimento balsamico imbutis, quod constabat ex terebint. myrrha, mastich. olibano, balsamo peruviano, oleo lumbricorum & spiritu vini camphorato. Quodq; maxime admiratione dignum, ingens hæc cavitas intra quinq; septimanarum spatium tota iterum carne reclusa erat: (*ambos hosce casus Magnus Dominus Præses in collegio suo Practico-Casuali nuperri- mo fusius dictitavit ad calamum.*)

XII.

Est igitur, si gangræna proserpens latè conta- gio suo funus partis, inde & corporis minatur, totum- que membrum occupavit & enecavit, unicum & secu- rissimum, quamvis miserum & crudele remedium, amputatio seu extirpatio partis. Ense enim *juxta O- vidium* rescindendum est corruptum membrum ne, pars sincera trahatur. Quod enim emortuum est & ad vitam amplius revocari nequit optimè a vivâ parte separatur. Satiùs namque est motum alicujus partis perire quam hominem totum & consultius est *cum Cel- so* anceps in re gravi experiri auxilium quam nullum; & melior semper est dubia spes quam desperata salus: imo satis tuta illa videtur curatio cujus effectus est salutaris. Nolum⁹ hic multa verba facere, utrum nimirum mem- brorum amputatio fieri salvâ conscientia possit: Evol- vi de hac re meretur *Zachias in questionibus Medico-lega- libus Lib. 8. Tom. 2. quest. 4.* Sufficit nobis, ipsam naturam providè suâque sponte secessum integrarum partium interveniente pure a corpore moliri, uti historiæ supe- rius allatæ id comprobant. Imo innumera exempla, felicissimum hujus operationis successum sufficienter confirmant, legi possunt hanc in rem *Bartholinus Cent.*

3. *Hist.* 84. *Binningerus Cent.* 2. *Histor.* 19. *Petrus Marchetti*
Observ. chirurg. 15. *Henricus Roonhusen Lib.* 1. *observ. chi-*
rurg. 25. *Rossius Consult. chirurg.* 13. & ipse devenerandus Dn9
Parens meus olim in patria operationi huic in aliquot militi-
bus Danis ab expugnatione urbis Wismarie tum temporis
Rostochium reversis, quibus frigus pedes mortificaverat, feli-
citer peracta moderator & testis adfuit. In negotio tamen
hoc arduo & cum magno vitæ discrimine conjuncto
magna circumspeditione opus est, unde semper admo-
nendos esse chirurgos arbitratur *Excellentissim9 Amman-*
nus in Parenesi p. 113. ne fingant necessitatem; & firmissime
sumus persuasi, quod multi ob inscitiam & neglectum
chirurgorum, imo ob defectum valentium & genero-
forum remediorum torturam hanc pati cogantur.
Quare Medicos ad tales operationes vocatos non sine
singulari circumstantiarum ponderatione de membro
abscindendo vel conservando judicare debere, annota-
vit *Hofferus Lib.* 4. c. 2. cum haud adeo excusabilem er-
rorem hîc committi a fraudulentis vel imperitis homi-
nibus posse, adducta ab iis exempla comprobent.

XIII.

Ut itaque circumspectè & cum ratione hoc in nego-
tio versemur, ratione individuorum & circumstantia-
rum breviter strictimque sequentia annotare placet.
Primum nempe asserimus ad partis amputationem
non semper necessario requiri ejus Sphacelationem
præsentem, sed dantur casus ubi consulto abscinditur
pars, quæ nondum sphacelo affecta est, quod sæpius
accidit, si nimirum a causâ nimis violentâ fere omnes
dilacerati fuerint canales, ut succis vitalibus omnis tran-
situs denegetur: tunc inevitabili necessitate mortifica-
tio partis subsequitur & antequam id fiat, ad amputa-
tio-

tionem transeundum est. Si gangræna fisti non potest & celerius proserpit ita ut truncum corporis mox attingat, commodè quoque instituitur hæc operatio. Tandem si diuturni & atrocissimi dolores nulla arte placandi cum ulceribus & erosionibus membrum quoddam occupant, nonnunquam optimo cum fructu ad hoc remedium refugere Practici. Sic *Horstius lib. 9. observat. 20.* meminit sequentis historię. *Nimirum filia 22 annorum per triennium fistulosis ulceribus circa genu dextrum laborabat, hinc corpus consumtum, continuo dolebat pars affecta & quoniam totum tibiæ os unâ cum patellâ cariosum judicatum fuit, de pedis supra genu amputatione deliberatum, exstirpatum quoque est felici cum successu.* Memorant quoque *Miscellanea curiosa Dec. II. anno 8. observ. III* propter solam dolorum vehementiam in usum vocatam fuisse, inflammatione nulla præfente, nec gangrænâ, nec sphacelo, quale exemplum memoriæ etiam prodidit *Binningerus Cent. 2. observ. 19.*

XIV.

Quod ipsam chirurgicam encheirisin spectat, antequam de illa nostra tradamus monita, opus est ut, quænam in antecessum, antequam illa instituat, consideranda veniant, subnectamus. Sc. ante omnia semper primum deliberandum est, an sine vitæ periculo exstirpatio partis fieri queat? quod si enim tales partes sphacelus adoritur, quæ non commodè deligari possunt & amplioribus arteriis & venis instructæ sunt, quæ dissectæ magnam sanguinis viriumque faciunt profusionem, fatius intermittitur, deinde respiciendum & eò est, an vires ægri consentiant? Vires enim, quæ sunt vitæ conservatrices in subsidium venire necessariò debent, siquidem metus, terror, dolor hæmorrhagia

ingentem harum adhuc efficiunt jacturam: Ubi itaque vires vel ratione vehementiæ morbi succumbunt & pulsus arteriarum debilis est, & defectio animi præsens, ibi cautissimè cum auxilio hoc crudeli mercandum est; Si autem omnia ritè sese habent & indicationes hoc remediigenus luculentissimè urgent, quæstio oritur: quænam remedia ad facilitandam hanc operationem intrinsece propinari debeant? Vulgus chirurgorum & medicorum ad præcavendos dolores Opiata cõmendat geben einen Schlaf-Trank ein / quod tamen hoc in passu valdè inconsultum videtur; ordinaria siquidem opiatorum, imo etiam duplicata dosis atrociam dolorum vix avertit, ceu hoc in rustico quodam cui pes sphacelo corruptus præscindebatur, oculis vidi, qui dentium stridore & ejulatu præsentis ferè omnes terrebat. Excessiva autem dosis si præbeatur, res est periculi plena, & verendum, ne sopitos ligatosque spiritus somnus sequatur sempiternus. Deinde opiata dum vaporoso suo sulphure spirituum activitatem & elaterem obtundunt, vires destruunt &, quo minus venenum gangrænosum foras propelli queat, efficiunt. Nihil namque magis auget & promovet malignitatem succorum vitalium, quam opium incautè exhibitum. Quapropter Fallopius usum narcoticorum in hac operatione penitus damnat. Idem tenendum quoque esse censeo circa usum opii post peractam operationem. Horstius lib. citat. recenset exemplum, ubi opiatum laudanum dederunt, nox quidem subsecuta fuit quieta, post vero leves accedebant lypothimiæ cum indiciis convulsionum. Desideratissima potius sunt vulgo dicta confortantia & quæ sanguini cordique tutelam præbent; talia autem sunt spirituosana analeptica quæ

quæ blandis sulphureis partibus instructa vigorem sanguini & spiritibus addunt, v. gr. aqua cinnamomi cum vino Hispanico confecta, quæ omnium præstantissima, aqua florum aurantium, liliorum convallium, alborum, rosarum, essentia ambræ, syrupus balsami peruviani, spiritus volatilis oleosus cum oleo corticum citri recenti & cardamomi essentificatus. Hæc vel per se vel cum vino rhenano optimo combinata & bono haustu exhibita egregiè roborant. Confert quoque tali in casu ex culinâ commendare jacula bonæ notæ resectoria ex vino, juscule carnis, vitello ovi, succo citri, saccharo & cinnamomo parata; omnium optimum præsidium est, analeptica hæc cum alexipharmacis supra dictis commiscere & conveniente dosi propinare. Reliqua remedia ut evacuantia, sanguinis missiones, purgationes merito improbamus & rejicimus, utpote quæ spiritus depauperant & malignitatem in centro magis detinent.

XV.

Quoad actum operationis variæ inter authores moventur controversiæ, quo in loco nimirum celebrari debeat? Multi in articulo amputationem instituere svadent, moti his rationibus, quoniam ibi hæmorrhagia non metuenda, nec ossium fit nudatio. Verum enim vero in praxi contrarium magis obtinet nec rationes desunt prægnantes: In articulis enim non tam prompte junctura ossium invenitur & cicatrix quoque difficillimè inducitur, deinde malum non semper est in articulo sed sæpius in medio membri. Alia autem res est, si digiti articulus rescindendus, quod optimè fit in juncturis & quidem mit einer Kneipzange. Porro altera quæstio est, utrum in parte sanâ an emortuâ opera-

rari liceat? Utraque pars non destituta est rationum
momentis: qui in emortuâ parte id fieri debere con-
tendunt adferunt hæc, quia minor ibi dolor & minor
quoque hæmorrhagia. *Galenus lib. 2. de curandi ratio-
ne ad Glauconem cap. 9.* scribit, membrum emortuum sta-
tim rescindere oportet, quo sanam partem vicinam at-
tingit, *Item Vigo lib. 4. Chirurg. Cap. 7.* scribit incidendū est
membrum sanum ita ut aliquid corrupti remaneat. In
quam rem etiam consentiunt *Fallopianus de tumoribus C. 26.*
Item Aquapendens Lib. I. cap. 19. at vero consilium hoc pe-
riculosum videtur, quoniam malum illud quod relin-
quitur ex facili se multiplicat, sensim obrepit & inficit.
Contrarium statuit *Celsus Lib. 7. cap. 33.* hisce verbis: inter
sanam vitiatamque partem incidenda scalpello caro
usque ad os est, sic ut neque contra ipsum articulum
id fiat & potius ex sanâ parte aliquid excindatur quam
de ægrâ aliquid relinquatur. Eandem sententiam fo-
vent expertissimi chirurgorum *Paræus Lib. II. cap. 18.* &
Hildanus cap. 17. de gangræna. Regula exceptionem pa-
titur in tibiâ, in qua si sphacelus sit supra malleolos pro-
pe genu præcisio est facienda, quod enim relinquatur,
nullum usum præstat, sed magnum incommodum æ-
gro affert cum ligneo crure ipsi utendum sit & pars o-
tiosa in posteriora vergat. In brachio tantum conser-
vetur quantum commodè alligandæ & aptandæ ma-
nui ferreæ sufficit. In digitis manuum & pedum in
articulo id ipsum fieri debet, nervi & tendines incisi sur-
sum attrahuntur & carne obteguntur.

XVI.

Ipsam Sectionem quod attinet, ante omnia im-
plorandum est Divinum auxilium & chirurgus eligen-
dus qui prudens, pius expertus & omnia, quæ ad hoc
opus

opus requiruntur instrumenta & alia necessaria in promptu habeat; prout hæc fusius recenset *Cornelius Solingen in Chirurgia pag. 378. & sequent.* Ut feliciter respondeat institutum, postea detineatur patiens vel imponatur in scamnum conveniens, deinde chirurgus trahat cutem, musculos & carnem fortiter versus sanas partes, ut scilicet operatione peractâ ossi denudato iterum obduci queant, deinde vinculo valido satis fortiter non tamen adeo lato constringenda est cutis, partim ut atrox dolor præcaveatur in extirpatione, partim etiam ut enormis hæmorrhagia, quæ pressio pede discissionem ampliorum vasorum sub sequitur, impediatur: Et quamvis primum vincula non sine gravi dolore injiciantur, postmodum tamen omnes cruciatus, qui ex sectione oriuntur leniunt & obtundunt, ita ut vix ullus doloris sensus percipiatur *vid. Dec. 2. Ann. 8. observ. 211.* Vinculum hoc bis circumdetur & optimè firmetur, ne hujus fiat relaxatio. Alii malunt ut duo robustiores viri præcipue in partibus carnosioribus fortiter manibus teneant & constringant. Locus ubi applicari debet ligatura est supra partem abscindendam aliquot & quidem duos digitos transversos, ne sectâ carne ligatura decidat. Prius autem quam sectio peragitur filum atramento tinctum applicandum est loco incidendo, qui ad minimum quatuor digitos transversos sit supra carnem emortuam & corruptam, postea cultro falcato satis acuto cutis & caro musculosa usque ad os unicâ sectione separanda est, quo factò musculi ab osse statim separandi sunt foras & intrinsecus & quidem satis amplo spatio, quo locus detur ferræ, quæ satis acuta, ossibus bene a perioestio purgatis, applicanda &

D

pri-

primo fibula, deinde tibia præscindenda est cito satis & tuto agilique dexteritate octo vel novem tractibus, leni tamen tractatione ne nimio motu & concussione sæva mala obveniant ægro. Notandum autem hic est pedem bene esse extendendum, ita tamen ut paulatim inflexus teneatur ad intra quo ambo ossa æqualiter ferra præscindi queant.

XVII.

Peracta sectione, sanguinis profluvium sistendum, quod variis modis chirurgi præstare solent; Nonnulli cauterio actuali seu ferro ignito carnem adurunt, qua adustione fibræ vasorum crispantur & constringuntur, sicque remoram sanguini injiciunt. Alii uti *Paræus* suadet in *Chirug. Lib. 1. cap. 20. & 22.* tenacula vel volsellâ vasa apprehendunt & acu transfigunt atque obducto filo deligant. Plurimi styptico sanguinis nimium fluxum compescunt. Primum modum improbat *Dominus Horn* in *Microtechnæ* quoniam cauterisatione actuali crusta quædam gignitur, quæ frænum injicit sanguinis effluxui, hæc autem quando decidit, de novo cruor largissime profluit. Nos dicimus remedium hoc esse facillimum & satis securum & ubi periculum in morâ est adhibendum, maximè talibus in casibus ubi remedia styptica non sunt ad manus. Juvat etiam cauterium adhibere tum temporis, ubi aliquid corrupti remanferit, sicuti quandoque ejusmodi casus occurrunt. Ferrum autem insigniter & ad ruborem usque candefactum esse debet, sic enim citissimè sequitur effectus, applicandum ipsis orificiis vasorum & cavendum quoque ne ægrotans videns ferrum hoc terrore insigni percutiatur. Quod alterum modum spectat, nimirum de-

deligationem arteriarum variis premitur difficultati-
bus, quoniam arteriæ post sectionem breviores fiunt &
intra carnem sese occultant, hinc forcipe non bene te-
neri & extrahi possunt ad deligationem, deinde ligatu-
ræ harum etiam tempus & moram requirunt, quam
imbecillitas & defectio ægri non permittunt; porro i-
psam vinculum quoque arteriæ tunicas quandoque
disseat, si nimis fortiter stringatur hoc autem si non fit
sanguinis fluxus non impeditur. Melior & optimus
modus est sistere sanguinem stypticis seu solidis, seu li-
quidis. Varia autem hunc in finem laudantur remedia
nonnulli vitriolum cyprium, item solutionem vitrioli al-
bi, nec non liquorem stypticum danicum ex alumine,
vitriolo, oleo vitrioli & aceto præparandum, maxime
æstimant. *Hildanus Cent. V. observ. 17.* Pulverem stypti-
cum suum magnificat; Nos instar omnium caput mor-
tum vitrioli probè exustum cum *Heurnio in comment.*
ad aphoris. Hippocratis 3. S. 1. commendamus; Hoc enim
præstantissimæ virtutis est ad omnem effrenem san-
guinis fluxionem cohibendam. Historia quam re-
fert laudatus Heurnius de hoc pulvere observatione
digna est. *Nimirum Illustrissimus Aurantia Princeps Wil-*
helmus Nassovius Antwerpia a latrone latus sclopeto in col-
lo ita ut vena jugularis magna maximam copiam sanguinis
funderet per plurimos dies, cum quotidie aliquot libras ejus
emitteret; Non autem potuit sisti illa fluxio, tandem quidam
digestivo illito ac involuto colcothare id perfecit. Si com-
positum quis desideret potest esse tale Recipe Boli ar-
men. unc. quatuor, sangvin. dracon. aluminis, terræ si-
gillatæ ana unciam unam semis, nuc. cupressæ, gallar.
ana unc. unam, capit. mortui vitrioli unc. duas M. F.

pulvis. Ex liquidis, quæ, quoniam soluta sunt, facilius penetrant & sanguini coagulum inducunt, omnibus palmam dubiam reddit liquor martis seu vulgo dictum oleum martis, quod ex capite mortuo florum salis ammoniaci martialium aëri libero exposito per deliquescentiam emergit & longe præsentius est quovis etiam famoso styptico. Sanguini si infunditur, illum in instanti in firmum & stabile coagulum imo ex fluido in solidum mutat, quoniam crassioris molis & angulosæ figuræ particulae vitriolicæ globulorum sanguineorum ab æthere rotationem, in quâ fluiditas ejus consistit, impediunt & globulos istos coaduniunt. Alii curiosiores spiritum vini rectificatissimum ad sanguinis fluxum refrœnandum collaudant, quod experimentum, quamvis propter debilitatem suâ huc non trahendum existimem, non tamen prorsus de nihilo est & in levioribus læsionibus locum invenit. Ratio autem operandi est in procinctu; nimirum spiritus talis omni phlegmate orbatus quam promptissime imbibit serum seu partem aquosam sanguinis, unde particulae sanguineæ crassiores ex poris feri præcipitatae in molem concrefcunt & stabile quoddam corpus constituunt, quod effluxioni sanguinis remoram immittit, deinde etiam vasorum ac tubulorum carneorum fibræ particulis æthereis salinis spiritus vini exsiccantur, constringuntur ac sic breviores ac angustiores evadunt ut intra limites suos manere queat fluor sanguineus. Modus autem applicandi styptica hic est, nimirum turundæ insignes ex lino discerpto conficiuntur, quæ madefiunt albumine ovi conquassato, quibus deinde pulvis stypticus inspergitur vel ipsæ turundæ liquori styptico immer-

merguntur & postea applicantur ipsis vasis, quæ prout amplitudine ac capacitate differunt diversas figura & magnitudine turundas quoque exigunt.

XIX.

Sedato sanguinis fluxu opus est, ut vincula stupefactiva removeantur, cutis remittenda, quæ os contegit & bonam partem læsionis imo nonnunquam totam, & dum pelle illa vasa conteguntur, partim & fluens sistitur sanguis, partim & consolidatio promovetur. Venetorum lictores teste Bartholomæo Maggio de vulnerum sclopt: curat. pag. 268. qui facinoroso alicui homini manum abscindere debent, pellem ad superiora trahunt & post manus amputationem illico contractam pellem laxant & diligenter circa juncturam consuunt, vulnerique ventrem gallinæ morientis adhibent, nec ullum deinde fit sanguinis profluvium, & hoc a Galeni sententia non abhorret, qui lib. 5. Method. scribit sanguinis fluxum fisti ex propria cutis superpositione, quapropter tuto hoc modo membra secabis, qui si tibi satisfecerit illum te docuisse non me penitebit. Accepimus in Belgio modum hunc admodum esse familiarem & multiplici experimento utilissimum deprehensum fuisse, nimirum tibia secta musculus Gastrocnemius vel ejus portio salva adhuc & viva non abscinditur, sed separatur a reliqua parte, quâ deinde obvolvitur membrum fauciatum & sic brevi tempore felicissimo cum successu sanatio absolvitur. Imposito postea pulvinari linteo albumine madefacto ad replendam cavitatem, vesica bubula satis fortis & aquæ calidæ prius immersa toti trunco obducitur, donec hæmorrhagiæ metus transiverit: tertio vel quarto die demum removetur ligatura & iterum pulvis stypticus cum albumine ovi mixtus imponendus est & opera danda ut indurata ac inglutinata prius emolliantur, eschara ut decidat, ad quod egregiè facit digestivum ex melle, terebint. pulvere aristol. irid. florent. thure & spir. vin. paratum. Eschara delapsa vel filo vulneris os latis futuris constringendum vel

vel per emplastra cutis attrahenda. Luxurians & spongiosa caro, quæ sæpius excrescit coercenda est insperfo pulvere radicis ireos & aluminis usti; tandem cicatrix emplastro diaphanæ, item de cerussâ nec non unguento desiccante rubro inducenda est.

XIX.

Postremo ad felicioris processus successum quædam necessariae cautelæ adjiciendæ sunt, *Primo* nimirum hæc operatio ita à chirurgo instituenda est, ut exponendo instrumenta sua non timorem incutiat ægroto, qui pessimus nonnullorum mos est: dum ex abrupto quasi ægro- tantibus indicunt extirpationem & statim omnia ad hoc opus parata instrumenta monstrant; Novi ex relatione suavissimi Dni. Parentis mei plures panico quasi terrores sic correptos & exanimatos fuisse, ut postmodum parum feliciter res successerit. Subitus enim & inopinatus terror mirum quantum turbat spirituum & corporis æconomiam; *Secundo* non aggredienda res est stomacho vacuo, protinus enim molesta syncope prehendi solent, nec eo repleto, ne cibus propter agitationem corrumpatur. *Tertio* in caco- chimicis, senibus raro feliciter cedere solet & consultius semper instituitur horis matutinis, quam pomeridianis, tempore verno & autumnali, quam hyberno & æstivo. *Quarto* denudatæ partes & ossa non diu aëri exponenda sunt, ne hic conglutinationem impediat & corruptionem ac nigredinem ossi inducat. *Quinto* post operationem peractam insistendum est remediis intrinsecis refocillantibus & alexipharmacis, temperatis tamen & in genere vitanda omnia excessivâ qualitate prædita, spirituosâ, calidâ, vaporosâ, opiata. Mixtura, quæ constat ex vino, oculis cancri, aqua cinnam. scorzon. essent. nucistæ, & paucis granis theriac. cœlestis omnium optima; hæc enim confortat, blandam diaphoresin & transpirationem inducit, simul & spirituum tumultum componit. *Sexto* ad crustæ vel medicamentis vel ignito ferro inductæ a carne resolutionem (solet enim inde

pro-

profluvium sanguinis sequi) non properare debemus. Cum autem putredo cessaverit, nec amplius sanguinis profluvium reformidandum, ea quæ crustam detrahunt, applicanda sunt, post crustæ autem casum, si adhuc inflammatio adest, unguentum diapompholygos, quo nullum aliud præstantius, adhibendum est, nullaque acria & quæ nimis calida tum ad movenda. *Plura qui legere circa hanc operationem cupit, conferat Johannem Vigonem Lib. 4. Chirurg. cap. 7. Aquapendentem Lib. I. Chirurg. cap. 19. & titulo de Sphaceli chirurgiâ & Celsum Lib. 7. cap. 33. Hildanum lib. de gangræna & Sphacelo. Solingen Parte 4. cap. 2.*

XX.

Coronidis loco de symptomatibus, quæ post operationem subveniunt deque illorum causis pauca adhuc addam. Sunt autem potissimum syncope, hæmorrhagia, febris inflammatoria, cum phrenitide, delirio & de novo gangræna & sphacelus. Syncope debetur potissimum timori & terro-
ri, nec non nimio sanguinis effluxui. Si autem gangræna a causâ intrinseca est non mirum ipsam malignitatem Spiritus in crasi & motu turbare unde præceptis virium lapsus, animi defectio, sudor frigidus & fætidus nascitur. Deinde hæmorrhagiæ facilius de novo fiunt, hinc videndum ne æger multum se commoveat, sternutet, vociferetur, tussiat, aut corpus culcitris multum oneret & quæcunque corpus & sanguinem commovent hinc vitanda sunt. Hinc quando æger dormit semper vigilans ipsi adsit minister. Quod si autem hæmorrhagia denuo supervenerit, non amovendus est illico prior apparatus, sed tentandum an aliis remediis retineri possit: nimirum aquâ frigida inspersâ, item stuppis cum pulveribus stypticis, V.S. in oppositâ parte. Illud autem maximè quoq; observatione ac notatu dignum est, non solum post graviores contusiones membrorum, verum & illorum amputationem frequentem esse hæmorrhagiam narium, ratio mihi videtur esse talis, quoniam sanguinis circulatio ex arteriis in venas non ritè & æqualiter procedit; dum
nimi-

nimirum magna arteria amputata & ejus pars ligata vel ob-
 structa est, sanguis necessario, qui transiret ad illam par-
 tem emortuam & detruncatam & reverteretur per venam,
 ad alias partes per arterias magno cum impetu ruit & qua
 data porta effluit. Hinc optime annotavit *Hildanus lib. de*
Dysent. c. 1. quod sangvine dysenteria in iis, quibus mem-
 brum aliquod abscissum est, proveniat: tunc enim *inquit*
 sanguis, qui pro nutritione partis abscissæ constitutus fuerat,
 ad fontem suum recurrens beneficio naturæ ad intestina de-
 pellitur. Febris inflammatoria in omnibus graviter vul-
 neratis familiaris esse solet, propter stasim & corruptionem
 sanguinis & feri, nec non inæqualem sanguinis & feri cir-
 culum. Convulsiones ut plurimum nunciæ mortis sunt, dum
 fluidum nerveum penitus destructum & irregularis
 motus indicant. TANTUM.



Sic tuus exactus, FILI, feliciter artis
 Pæoniæ cursus; Condís honoris opus.
 Hoc, ceu credo, brevi roseo te murice cinget,
 Ex animo lætor; lætaque quæque precor.

Ex paterno affectu hac scribebat

BERNHARDUS BARNSTORFF,
 Med. D. & in Alma ad Varnum Profess.
 Publ. Facultat. Medic. Senior & p. t. Deca-
 nus nec non Physicus ibid. *hodieq;* Acade-
 miæ RECTOR MAGNIFICUS.



EPISTOLA GRATULATORIA,
AD
VIRUM MAGNIFICUM EX-
CELLENTISSIMUM atque EXPERIENTIS-
SIMUM

D N. BERNHARDUM
BARNSTORFFIUM,
Med. D. & Prof. Publ. in Academia Ro-
stochiens. celeberrimum, Facultat. Medic. Seniozem & p. t.
Decanum nec non Phisicum ibid. hodieque Academiae
Rectorem Magnificum.

⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗⊗
HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.



VIR MAGNIFICE atque EXCELLEN-
TISSIME



Ria sunt, quæ hominem fe-
licem ac beatum reddunt,
tam in hâc quam in secu-
turâ vitâ : *Sincera Pietas,*
Menstranquilla & Sanitas.

Hæc summa mortalium bona sunt, qui-
bus in acquirendis genuina omnis ver-
satur sapientia. *Pietas* est, quæ nobilis-
simam nostri partem ad verum vitæ fon-
tem Deum adducit & cum ipso unionem
intimam, quæ inconcussæ felicitatis o-
mnis centrum est, instituit. Alterum
animi nostri pabulum *tranquillitas & ac-*
quies

quiescentia est, quæ si in recta virtute & rationis usu ponitur, perfecti amoris & gaudii parens & causa existit. Tertium ad corpus spectat & in proportionata partium fluidarum temperie, æquilibrio, motuumq; ordinatâ æqualitate consistit ac *sanitas* dicitur. Hac qui fruitur dulce ac securum possidet in hac vita præsidium, aptusque est munera sua legitime sine ullo incommodo obeundi. Quo circa perfectum hunc dicimus, qui divinis hisce bonis ac donis gaudet, quæ, quod mirabile est amicabilem inter se fovent, communionem ac commercium, ut, qui *sanitatem* habet ut plurimum simul *mentem tranquillam* alat & hæc corpus quoque in statu suo secundum naturam egregie conservet. *Pietas* vero utrumque conciliare videtur, nisi magnus excessus in rebus, quæ medicis non naturales dicuntur, præcesserit. Hominis itaque officium est, omni animi contentione

ingeniique nervis *perfectissimam* hanc
bonorum Trigam quærere, rimari & aug-
mentum illorum indies appetere. Vide-
tur autem ille aliis mihi felicior in com-
paranda hac divina fruitione, qui Medi-
cinæ sacris operatur. Hic enim exquisi-
tâ operum DEI & stupendi, quod in natu-
ra, quæ prima Numinis divini scriptura
est, panditur, cognitione manibus quasi
palpat & oculis cernit inenarrabilem e-
jus sapientiam & bonitatem, unde maxi-
mè Numinis hujus & cultus & amor e-
nascitur, a quo nostri in quævis momenta
subsistentia & quivis motus, qui in cor-
de & arteriis est, dependet: Et licut nos
ipse formavit: sic eodem modo & destru-
ere & in nihilum nos redigere potest.
Medicus porro, velut perpetuæ miseriæ
humanæ spectator, superbus esse vix po-
test. Initia & incrementa nostri totius-
que generationis processus & locus ubi
nascimur non possunt quin prorfunde
hu,

humilitatem cordi ipsius instillent , & optime penetrat quod JACOBUS dicit *Vitam nostram instar vaporis & bullæ esse.* Deniq; post DEUM Imperator vitæ & sanitatis est Medicus , hic & sibi & aliis integram sanitatem servat ac dispensat. Quare ut optimus beneficiarius & elemosinarius divinam quasi opem imbecillibus præstat. Unde non potest non exurgere & mentis summa acquiescentia & gaudium. Felicem itaque prædico, qui post sincerum DEI amorem recte se mancipat studio Medicinæ non vanæ, aut empiricæ sed rationalis, quæ inconcussæ veritatis principia mechanica sequitur, tunc enim largissimam invenit occasionem possidendi tria hæc prædicta bona. Felicem quoque terq; felicem & Te, *Vir excellentissime*, & me & filium tuum, optimam Tui spem, dico & prædico, quod studium hoc jucundissimum & acceptissimum amplexi fue-

rimus. Medicus enim sapiens juxta divinum senem nostrum *L.I.S.I.Tract.de Medic.* DEO æqualis habetur. Iterum iterumque hinc Tibi gratulor, *Vir Excellentissime*, de filio Tuo, quem ad studium medicum, quod ipse magno cum applausu profiteris, educaſti: Hic semen tuarum virtutum simul & scientiæ medicæ quasi innatum ita excoluit & adoleſcere ſi vit, ut jam uberrimos fructus proferat. A teneris ut ajunt unguiculis ipsum arti noſtræ tradidiſti & virtutum ac ſapientiæ præceptis operâ Weſſiana, Ottoniana & Burgmanniana fideliffima probe imbutum ad academias per celebres tam *Helmſtadienſem*, *Jeneniſem*, *Lipſienſem*, quam noſtram miſiſti, ubi indefeſſo labore hauſit, excellentiffimis Medicis præeuntibus, totius Medicinæ rationalis fundamenta. *Meibohmum*, *Gerdeſium*, *Schaperum*, *Wedelium*, *Schelhammerum*, *Crauſium*, *Slevogtium*, *Sthalium*, *Bohnum*, *Rivini* alios-

aliosque audivit. Mea quoque opera
se profecisse testatur. Imprimis ipse co-
natus in scrutinio naturalium satis lau-
dare vix possum. Rebus Anatomicis,
Chymicis, Physiologicis, Botanicis ma-
gna cum solertia invigilavit. Cathedrā
cum aliorum admiratione salutavit fre-
quentius & in certaminibus sese exercuit
egregie. Adiit & lectiones aliorum,
quod in meis semper laudo, qui sapien-
tiam & solidas artes maxime mathema-
ticas profitentur. Metallifodinas varias
Germaniæ ingressus est ad conspicien-
da naturæ miracula. Nec in visitandis
urbibus atque Aulis Saxoniae celebri-
oribus segnis fuit, ut jucundissimam curio-
forum variorum sibi compararet noti-
tiam.

Ast nolo ulteriori recensione ejus
vitam, studia atque scientias persequi.
Res ipsa loquitur & *Disputatio* inaugu-
ralis cultissimum eruditionis ipsius spe-
ci-

cimen fatis orbi erudito Medico nomen
ejus commendat & sagacis ingenii vires
patefacit, ut adeo nullum dubium sit, ip-
sum ceu hæredem paternæ doctrinæ
ἡγετὸν-ἀρίστον bonæ famæ templum olim in-
gressurum. Ingens itaque Te, *Vir Ex-
cellentissime*, gaudium a filio Tuo sum-
pturum esse, certo credas, maxime si pri-
mo illi, de quo dixi, principio mentium
humanarum bono ulterius exacte stu-
deat. Cæterum gratulor mihi de Tua ami-
citia & affectu, quem Tuis gratisimis nu-
per testatus es: hunc ut servare peren-
nem ac proprium mihi velis etiam atque
etiam rogo. DEUS Te in incrementum
Reipublicæ nostræ Apollinariæ & decus
Academiæ Vestræ servet diutissime.

Vale!

Dabam Halæ Magdeburg.
ipsis Calendis Octobr.
Ao. 1696.

FRIDERICUS HOFFMANNUS,
Medicus Electoralis & Professor
h. t. Academiæ P R O R E C T O R.

cimen satis ubi creditur Medicis nomen
eius commendat & laqueis ingenii vias
patet, ut adeo nullum dubium sit,
plum cum hactenus patet doctrina
gressum. Ingenium itaque Te, Viri
cellentissime, gradum a quo suo tempore
ptum esse, certo credas, maxime si
mo illi, de quo dixi, principio nomen
humanarum bono utitur ex parte
deat. Ceterum gratulor mihi de
citis & affectu, quem Tuis gratulationibus
per testatus es: hunc ut servare poteris
nem ac proprium mihi velis etiam
etiam rogo. Deus Te in hoc
Reipublice nostrae A polluit & decus
Academice Vestrae servet divissime.
Vale!

Datum Hake Medeburg
ipse Calendis Octobris
Anno 1666

FRIDERICUS HOFMANNUS,
Medicus Electoralis & Professor
in Academiae P. Rector.

